



Universitätsbibliothek Paderborn

**Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis
Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev
De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo**

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

IX. Ceteri Reges novis officiis jus Patrocinij confirmarunt. Et præ ceteris
Invictissimus Ludovicus XIII. consilio & opera Eminetiss. Card. Ducis
Richelij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15591

ficum auxilia petendi , & Regum Galliarum supprias ferendi , post pristinas illas conventiones perduraverit ; quis non perspiciat in Tertiam stirpem propagatum ius Protectionis , quod in Secunda stirpis exordio initium sumpserat .

VIII. Planè videtur Gregorius IX. eam induisse curam ut foedera ista aliquo pacto renovaret bullatis litteris quas ad S. Ludovicum Regem Gallorum dedit anno M C C X X X I X . ut Fridericu Romanæ Ecclesiæ imminentem repelleret . Etenim cùm regni Gallicani gloriam præ ceteris regnis , & in fide armis propaganda constatiam magnificis verbis prædicasset , eodem que gradu dignitatis præcellere dixisset quo Tribus Iuda reliquias tribus exsuperabat : *Ex quibus* , inquit , *evidenti ratione perpendimus quid regnum Francia predictum* , *benedicuum à Domino* , *Redemptor noster quasi speciem* *divinorum voluntatum executorem eligens* , *& ipsum sibi sicut pharetram circa femur accingens* , *ex ipsa sepius sagittas electas extrahit* , *& eas in tuitionem ecclesiastice libertatis & fidei* , *in contritionem impiorum* , *& defensionem justitiae* , *in arcu brachij potentis emittit* . Idem laudibus Gallos ornaverat antea Paulus I. quas novis beneficiis à Gregorio deinde sunt promeriti . Ex his testimonis pater Pontifices Romanos non in Regis Galliarum unius vel alterius studio peculiari , sed in ipsius regiæ dignitatis nomine præsidium suum collocasse ; ita volentibus divinæ prævidentia fatis , ut regnum Francorum sedis apostolicæ defensioni devotum consecratumque esset . Cui officio cùm Reges cumulantissime satisfacerent , jus istud protectionis , confuetudinis antiquissimæ præscriptione quæsivisse , non sine ratione dici potest . Hunc morem obtestabatur Innocentius IV. cùm à Conventu Patrum Cisterciensis ordinis peteret ut Ludovicum IX. suis precibus exorarent ne à pristina & receprissima Gallia consuetudine discederet ; sed avorum vestigia premendo , Romanum Pontificem ab injuriis Friderici vindicaret . Hoc jus protectionis provocabat Urbanus IV. cùm ad eundem Regem Ludovicum , tanquam ad defensionis sue dexteram , teste Nangio , se contulit , ut à Manfredi Siciliæ Regis impetu se immunem præstaret .

IX. Neque vero huic officio defuere Reges qui illos exceperunt . Non defecit in posteris innata majoribus erga Summos Pontifices singularis propensio ; sed quasi hereditario jure ad omnes successores transmissa , ad nostram usque ætatem integra atque illibata pervenit ; adeo ut tot ferè possit sedes apostolica laudare vindices , quot Reges Gallia . Quare non immorabor in re-

centendis per quos Summorum Pontificum res stetere ; cùm satis superque mihi sit hoc unum duntaxat monuisse , Galliam nullum Regem agnoscere , qui Ecclesiæ laboranti solenne patrocinium denegarit , cuique antiquius quidquam fuerit quam Protectoris insigne , longa & justa possessione quæsumum , novorum beneficiorum cumulo sibi confirmare . Quamvis autem inter Summos Pontifices Regesque Gallia quandoque similitates intercesserint , nihil tamen de Protectionis jure eis decessisse certum est . Quos enim private res aliquandiu abalienaverant , in commune totius Ecclesiæ bonum conspirantia studia ita perfecte sacrosanctæ sedi conciliarunt , ut felici dissidio disjuncti videantur , quos arctiora deinceps amicitia vincula constringerunt . Ceterum præ alius retro Gallia Regibus , Augustissimo Principi nostro potissimum Alerioris Titulum deberi , consumptæ in præsidium sedis apostolicæ regni vires , exhaustum ærarium abunde telantur . Elanguerat in plenisque regni provinciis Christiana fides , Religio prostrata jacebat , vixque Ecclesiæ Romanae inane nomen in ludibrium supererat . Lugubrem Matris sortem miseritus Ludovicus , ut afflictæ pias vices exhiberet , in propria viscera arma convertit ; subiectoque sibi populos ultore ferro prosecurus est , ut parenti suis splendor constaret , pristinaque dignitas restitueretur . Non dum apostolica sedis conjurati hostes spiritus deposuerant , quantumcumque amisisti aliquot urbibus debilitati , adversisque præliis immuniti ; artibus scilicet & sociorum auxilii confisi , atque Arce ferocios . Accessit invictissimi Principis virtuti ac fortunæ Grande Incrementum Eminentissimi Cardinalis Ducis Richelij prudentia , fortitudo , fides : cuius ministerio , cadente Romanæ Ecclesiæ æmula , elusisque factiosorum artibus , atque auxiliarii classibus dissipatis , fracti rebellium animi tandem ceciderunt , & debita sedi apostolicæ auætoritas rediit . Summi hujus viri , rerum divinarum atque humanarum confluitissimi , solerti etiam prudentia debemus , quod Ecclesiæ & Regni jura æquis ponderibus librando , (ut Ecclesiæ Romanae Principem purpuratum , & Ducis corona Regis beneficio insignitum decebat) unicuique sua præstet intacta atque inviolata . Nec aliis eventus expectandus erat sapienissimo Principi , cùm religiosissimum Sacerdotem interioribus consiliis admoveret , B. Remigio florentissimum imperium jam olim Regibus nostris prenuntiante , quādiū Episcoporum operam in administrando regno adluberent .

Elogium Cardinalem Richelij.

Epistola Remij ad Clodorem :
Sacerdotem suum
bonorum deobla
defere , & ad
eum confisa for
mer recurreat .
Quod si nō bene
cum illa concur
rit , præveniatur
modice perficien
tia .

T. 2. Libri. Ec
cles. Gall. cap. I.
N. 4. & in Notis
ad N. 4.

Paulus 1. ep. ad.
Francos. Verè
enim elevatus est
nomen gentis ve
stra super multas
generations na
tiones , & regnum
Francorum ut
lebans emicat in
confessu Domini
quid ralibus beni
giu flou catholice
& apostolica fan
gia . Dei Ecclesiæ
liberatoribus pre
ernatur . Regibus
Infric . Vei quid
dum , carissimi
genti fonda , re
gale facerdotium
populus acqui
siuit , cui bendi
xit Deus Israël .
Matthæus . Paris
10. 124 .
Secundum anti
quam & confes
sionem Franci
conseruendum &
liberandum . De
suum pontificis
contra infideli
Imperatore defen
dere , & si ne
cessitas expulsi
laret , cum in suo
regno recuperaret,
sicut bupi uenu
meria . Alexandru
Papa exalat , &
a facie Imperato
ri Friderici per
sequunt fugienti .